

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis duodecimâ mensis Martii. Anno Domini M. DCC. LXXI.

M. ANTONIUS PETIT, in Horto Regio Anatomes & Chirurgiæ Professor, è Regiâ Scientiarum Academiâ, & Militarium Regni Nosocomiorum Inspector, &c. &c. Doctore Medico, Præside.

An salubrior in crines Equinos, quàm in lanam pennasve, decubitus?

I.



DE ægrorum decubitu, tum apud Antiquos cum apud Recentiores multa, & quidem utilia delibari possunt; res autem erga sanorum decubitum, aliter se gerit. Hoc circa Hygienes subjectum pauca (ne dicamus nulla) scripta extant; ideo non mirum quod fermè omnia supersint dicenda. Nobis istud frenum injiceret, nisi nova tentare satius esset, quàm crambem semper recoquere : hinc enim quid in posterùm præstans imòque necessarium, inde verò nihil nisi supervacaneum, quandoque fastidiosum scaturire valet. Decubitûs nomine intelligunt Medici supinum hunc lateralemve

corporis in lecto situm quo ; fractas resarcire vires & somno indulgere quærimus. Lectus seu cline quid sit, omnibus notum est, parata nempe ad recubitum sedes. Gens humana fessos quieti dat artus : Africus & Asiaticus Morphæum, Morphæum Americanus & Europæus invocant ; modo tantùm illius expectandi recipiendique dona, inter se diffident. Hic de omnium Extraneorum decubitibus aliquid eloqui non abs re foret, pensum verò tale nostrâ præstantius experientiâ, indefesso perdoctoque viatori deserimus, & in hacce quæstione quod certo certius ac nostris ipsismet oculis observavimus, duntaxat perpendemus.

I I.

SINGULARUM spectando mores & usus Europæ nationum peculiare quoddam, sæpiusque heteroclitum annotatum est : idem fere circa varias conficiendorum clinium rationes, judicium feratur. Etenim Germanos attende, tibi plumeas duas inter culcitas corpus supra subterque positas, se somni favores accipere ultrò fatebuntur. Polonum consulas, in qualicumque oblectari se lecto atque dormire, dummodò siccâ pelle alcinâ stratum induatur, te suasum relinquet. Si Moscovitam inviseris, hunc neque in molli thalamo, neque in purpurâ ornato vires reficientem, contra super coriis stragulisve cooperta tabulata, vel melius scamna cubantem reperies. Nunc Galliam perlustra, nonnullisque provinciis immoreris : ferream multòque frequentius ligneam lecti compagem, ab omnibus pœne incolis usu receptam animadvertes, stratis adeo supercumulatam, ut tori petendi causâ plurimis necesse suppedaneum sit. Strata alia straminea, alia *glumalia*, altera *muscea*, altera *crinita*, hæc lanea, illa plumea fabricantur ; ubivis autem modo non eodem disponuntur. Hic supra memoratam compagem primum palea, vel gluma, vel muscus ordinem, secundum crines, aut lana, tertium pluma occupat. Illic musco, glumâ, paleâque fastiditis, priorem crines, sequentem pluma, lanaque postremum locum obtinet. Talis apud nos usus ita invaluit ut somno priusquàm indulgeamus lanis, sæpius verò plumis decumbere necessarium credamus : quo enim fato pauculis arrideat individuis, latera, dorsum & artus crispis crinibus committere, ignoramus.

I I I.

CRINES à culcitariis adhibitos hipposetam esse seu crines equi, neminem latet : quos analysim Chimicam expertos, oleo saleque volatili paucis, multâ verò terrâ constare probatur. Laneæ culcitæ loto pluries, pexo quandoque vellere componuntur. Lotionibus lana sic repetitis subacta, succisâ certe quidem minori olei spiritûsque volatilis quantitate turget : dicendum tamen quod æquali utriusque substantiæ pondere servato, Chimica ter saltem in loto vellere ditiora quàm in crinibus fiunt producta. Plumea cum pennis brevioribus, vel melius abdominali avium tomento parantur strata ; tomentum autem illud domesticis vulgò volucribus, ac præsertim anati anserique detrahitur. Si principia plumam constituentia computas, luxuriantem olei fœtidissimi talisque admodùm penetrantis copiam colliges. Alterâ longè simpliciori faciliorique methodo de crinium, lanæ, plumæque primordiis dijudicari potest. Hippotetæ super candentes carbones impositæ, subitò marini salis instar detonant, levis & fugax tantùm

refulget flamma, quæ vix sensilem naribus odorem affert. Idem si velleri experimentum adhibeatur, nullus fit crepitus, velox passim lumen surgit, quod donec omnino materia cremetur, gravcolens nervisque olfactoriis molestum suffimen exhalat. Igni quoque ardenti si pennas exposueris, statim accenduntur, atque fœtidissimum & quasi suffocantem fumum emittunt. Ex his porro sal volatile ac oleum in tomento uberrimum, in lanâ rarum, tandem in hipposetis parcissimum meritò suspicari possumus.

IV.

EO calidiora Naturæ sunt producta, quò majori salis alkali volatilis, olei, sulphurisque copiâ donantur. Tantò contra eminentiori temperantiâ gaudent, quantò longiùs ab hisce principiis discedunt, vel aliis oppositis conflantur. Naturalium substantiarum tum internis tum externis viribus afficiuntur corpora. Ut inter solida liquidaque congruum sanitati æquilibrium servetur, quorumcumque individuorum primi concitatores motus & calor, haud præcipiti nimioque passu, rectiùs verò levi moderatoque incedere tenentur. Si perfectè sani corporis 24 intra horarum spatium emissæ ponderentur excretiones, collectis cæteris dejectionibus insensilem perspirationem quinquies abundantiorem futuram, cuilibet attendenti notum erit. Qui per levia cutis spiramenta humorum multò plus emittunt, in his pedetentim nervi sensibiliores, imbelles effœtæque vires, machina denique flaccida marcescit. Innatos calorem & motum quodcumque adaugere valet, hoc etiam solidis liquidisque stimulos addit. Utrumque laneæ plumeæve culcitæ, absque controversiâ sortiuntur effectum; hinc vel perspiratio fortior sudorem mentiens, vel plethora spuria, vel malorum sæpius obmutescentium amara soboles. Habitâ igitur ratione peculiares ad decubitus in §. II. exaratos, non mirum quod apud nostras regiones indigenæ, endemicæque sint agrypniæ; quod spasmodici affectus regum magnatumque turres potiusquàm pauperum tabernas pede pulsent. Non mirum quod inertibus ac inexercitatis viris mariscæ seu hæmorrhoides, ditibus fœminis leucorrhæa tanquam famulitium habeantur. Non mirum tandem quod maxima germanorum pars corpulentiâ, guttâ rosaceâ, varicibus, ficis sporadicè affligatur, atque similibus toto vitæ curriculo hostibus consuescat.

V.

QUÆ post se mala decubitus in lanam, aut in plumas invehunt, illa decubitus in crines equinos infligere non potest. Hipposetæ, sive harum principia per decompositionem extracta consideres, sive autopsiam consulas, nonnisi temperanti, sedanti, refrigerantique facultate pollent. Ad salubrem invitant quietem; somnum conciliant placidum; cutis, renum, aliorumque corporis colatoriorum amicæ, blandam sufficientemque perspirationem suppeditant, citrinam abundantemque diuresim promovent. Quid plura? Talia ex toris cum filice siccatâ confectis emolumenta comparant Apalachites; talia ex lectis suspensis *Hamach* dictis cæteri Americani. Quot individua lanæ solitò incubantia, jamque pridem insomnia, in hipposetas decubitu pertinacibus à vigiliis soluta omnino fuere? Plures efferæ, vel fluxui hæmorrhoidali obnoxios novimus, qui ab his incom-

modis crinitum ſtratum noſtro conſilio laneis, aut plumeis culcitis præponentes, expediti ſunt. Nonnullas fluore albo laborantes mulieres obſervavimus, quæ molliora clinia hippoſetæ gratiâ lubenter abdicando, ſanitatem integrè recuperarunt. Aliquot tandem podagricos, nephriticos, melancholicos vidimus ſolo diurno nocturnoque in *Hamach* decubitu perfectè curatos. His itaque poſitis ac penſitatis, lanam & plumas haud amplius ad decubitum commendemus: utraque œconomiæ animalis integritati adverſatur, & pharmaceuticum tanquam auxilium cenſeri, interque remedia tonica, diaphoretica, ſudorifica tantummodò annumerari debet. Crines equinos verò analiſis ſimul & obſervatio valetudini famulari teſtantur: unde concludimus,

Ergò ſalubrior in crines Equinos, quàm in lanam pennaſve, decubitus.

Proponebat Pariſiis TUSSANUS GUINDANT, ex Virzione apud Bituricenſes, Doctor Medicus Monſpelienſis, Noſocomii Aureliæ Antiquus Medicus, Collegii Medicorum, Regiæque Societatis Rei Agrariæ ejuſdem civitatis Socius, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus.
A. R. S. H. 1771. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis *Quillau*, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1771.